



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Signis Prædestinationis, Et Reprobationis, Et De Numero Prædestinatorum, Ac Reprobatorum

Recupito, Giulio Cesare

Lvgdvni, 1681

Cap. IX. Quintum prædestinationis signum, Humilitas: Reprobationis,
superbia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44272

CAPUT IX.

Quintum prædestinationis signum, Humilitas;
reprobationis, superbia.

CLXXIV.

Dico nonò. Humilitas prædestinationis signum est; reprobationis, superbia. Probatur primò è Scripturis; in quibus, humilibus promittuntur tum media prædestinationis, tum ipse finis: superbis denegantur.

Humilibus
promittitur
specialis
Dei pro-
videntia.
Isaia 66.
Psal. 37.
August.

Primò promittitur humilibus specialis Dei providentia, quæ maximè consistit in dispositione mediocum. *Il. 66. ad quem respiciam nisi ad pauperulum, & contritum spiritu, & tremem sermones meos? Quæ omnia humilitatem insinuant. Item Psalm. 37. Excelsus Dominus, & humilia respicit: & alta à longè cognoscit. Quod expendens Augustinus serm. 1. de necessit. pœnitent. tomo 10. Excelsus, inquit, Dominus, & humilia respicit: & excelsa à longè cognoscit. Excelsa poscit pro superbis. Illa respicit, ut attollat: ista cognoscit, ut deprimat.*

Humilibus
promittitur
Dei custo-
dia.
Psal. 114.
Glossa.
Liberatio à
tentationi-
bus.

Secundò promittitur humilibus Dei custodia. *Psal. 114. custodiens parvulos Dominus. In quem locum Glossa, parvulos, inquit, idest humiles corde: qui soli participant redemptionem Christi.*

Humilitas
orationi est
pro vehi-
culo.
Chrysost.
2a Cor. 7.
Glossa.

Tertiò promittitur liberatio à tentationibus, *Psal. eod. Humiliatus sum, & liberavit me. Quod declarans Lyranus, Proprium, inquit, est Deitatis succurrere in casibus desperatis. Parvuli autem defendere se non possunt à potentibus.*

Humilitas
orationi est
pro vehi-
culo.
Chrysost.
2a Cor. 7.
Glossa.

Quartò promittitur exauditio. *Iudith. 9. Humilium & mansuetorum semper tibi placuit deprecatio. Eccles. 35. Oratio humiliantis se penetrat nubes. Quia scilicet, sicut Eliæ currus, ita orationi ut ascendat, humilitas est pro vehiculo. Ideo Chrysostomus in illud, Psalm. 9. non est oblitus clamorem pauperum, orationis, inquit, vehiculum est humilitas.*

Prov. 9.

Quintò promittitur consolatio. *2. ad Cor. 7. Qui consolatur humiles. Quia proprium est misericordiæ divinæ consolari afflictos: plerumque autem humiles in afflictione versantur. Ideo Glossa consolatur, inquit, humiles idest afflictos.*

Gregor.

Christus ob.

Sextò promittitur facilis accessus ad Christum. *Prov. 9. si quis est parvulus, veniat ad me. Quia scilicet per humilitatem assimilamur Christo: qui, cum esset in se magnus, ad exhibendam humilitatem factus est parvus. Quamobrem Gregor. lib. 34. mor. cap. 18. quanta, inquit, humilitatis est virtus: propter quam solam veraciter edocendam.*

dam is, qui sine estimatione magnus est, usque ad passionem factus est solam humilitatem parvus.

Septimò promittitur revelatio mysteriorum Dei. Matt. 11. *Abcondisti hæc à sapientibus, & prudentibus: & revelasti ea parvulis. Quippe, ut Glossa in Luca 12. scientia clavis humilitas Christi: quam, qui habent, scripturas intelligunt, immo ut Augustinus serm. 8. de Epiph. Glossa. tota, & vera Christiana sapientia disciplina in vera, & voluntaria humilitate consistit.* August.

Octavò promittitur exaltatio Luca 14. *qui se humiliat, exaltabitur* Quod expendens idem Augustinus serm. 16. de martyr. *Altitudinem, inquit, queritis? per vallem pervenitur ad montem. Sedem queritis claritatis? prius bibite calicem humilitatis.* Luca 14. August.

Nonò promittitur gratia. 2. Iacob. 4. & 1. Petr. 5. *Deus superbis resistit: humilibus autem dat gratiam.* Ideo Fulgent. epist. 6. c. 9. *tantò magis, inquit, in te cognosces gratiam Dei crescere: quantò magis tibi humilitatem cordis videris abundare.* 2. Iacobi 4. 1. Petri 5. Fulgent.

Decimò promittitur salus, beatitudo, majoritas in regno cælorum. Psalm. 33. *Humiles spiritu salvabit.* Psalm. 17. *tu populum humilem salvum facies.* Matth. 5. *beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Per pauperes autem spiritu intelliguntur, ut exponit Augustinus lib. 1. de serm. Dom. in monte, *humiles, non habentes inflantem spiritum.* Psalm. 33. Psalm. 17. Matth. 5. August. Matth. 18. Francisco humili sedes altissima.

Denique Matth. 18. *Quicumque humiliaverit se sicut parvulus iste, hic est major in regno cælorum.* Idcirco *sedes altissima visa est inter Seraphim: dictumque, hæc sedes humili servatur Francisco: ut refert S. Bonaventura in ejus vita cap. 6.* S. Bonav.

Contra verò hæc in Scripturis promittuntur humilibus, denegari dicuntur superbis. Quippe denegatur iis providentia, & custodia Dei specialis. Ideo dicitur Psalm. 73. *alta à longè cognoscit.* Quod expendens Augustinus serm. 2. de Ascens. *Videte, inquit, fratres magnum miraculum. Altus est Deus: erigis te, & fugit à te: humilias te, & descendit ad te.* Denegatur plerumque liberatio à tentationibus, consolatio, vocatio efficax, gratia efficax. Ideo dicitur 2. Iacob. 4. *Deus superbis resistit. Humilibus autem dat gratiam: quia, ut notat Bernadus serm. 27. de verb. Dom. confluit aqua ad humilitatem vallis: denatat de tumoribus collis.* Expendenda sunt illa verba, *Deus superbis resistit.* Idcirco Isidor. lib. 1. epistol. 164. *Considera, inquit, quantum est Deum hostem, & adversarium habere: & veterem hostem socium.* Denegatur exaltatio. Luca 18. *qui se exaltat, humiliabitur.* Psalm. 17. *oculos superbiorum humiliabis.* Proverb. 29. *superbum sequitur humilitas: & humilem spiritu suscipiet gloria.* Prov. 15. *antequam conteratur, exaltatur cor hominis: & antequam glorificetur, humiliatur.* Quamobrem interrogatus quidam sapiens Prov. 25.

Dei. fere tota occupatio in exaltatione humilium. de-
 pressione cælorum.
 Herodot.
 Judith.
 Bernard.
 Sine humilitate nec
 Mariæ Virginitas placuisset.
 Matth. 7.
 Gregorius.
 Matth. 18.
 Angusta cæli porta
 superbos non capit.
 Matth. 7.
 Luca 8.
 Publicani humilitas
 cælum penetravit.
 Paulinus.

à Ptolomeo Philadelpho Aegypti Rege, quid faciendum esset cupienti vitare superbiam, respondit, *coritare quòd Deus superbos deprimit, humiles exultat.* Æsopus rogatus à Chilone, quidnam Deus agat, ita respondit, *humilia exultat: alta humiliat.* Artabanus, ut Xerxem à consilio invadendi Græcorum imperium revocaret, dixit à Deo *turres, montesque fulmine impeti: valles, atque ima servari.* Ita refert Herodotus lib. 7. Denegatur acceptatio orationis. Judith. cap. 9. *nec superbi ab initio placuerunt tibi: sed humilium, & mansuetorum semper placuit deprecatio.* Ideo Bernardus homil. 1. super *Missus est. Audeo, inquit, dicere sine humilitate nec Virginitas Mariæ Deo placuisset.* Denegatur claritas, & noticia mysteriorum Dei. Matth. 12. *abscondisti hæc à sapientibus, & prudentibus, id est ab iis, qui tales sunt apud seipfos.* Ideo Gregorius lib. 34. mor. c. 17. *qui, inquit, nec dum semetipsum despicit, humilem Dei sapientiam non apprehendit.* Denegatur denique salus, beatitudo, introitus ad regnum cælorum. Matth. 18. *nisi efficiamini sicut parvuli, non intrabitis in regnum cælorum.* Cum enim scriptum sit. Matth. 7. *intrate per angustam portam: hæc, quæ parvos, & humiles capit; tumidos, & elatos non capit.* Ideo exclusus à regno cælorum Pharisæus ille Evangelicus, qui dicebat *non sum sicut ceteri hominum; & Lucæ 8. introductus verò fuit humilis publicanus, qui non audebat oculos neque ad cælum levare, quia ut notat S. Paulinus epist. ad Severum non poterat eo recipi lata jactantia, quo se humilitas angusta collegit: & angustia angustior contriti cordis exilitate penetravit.* Hæc è Scripturis, & Patribus.

CLXXV.
 Humilitas quid sit.
 Bernard.

Amor Dei prædestinationum character: amor sui, reprobatorum.
 Augustinus.

Probatur idem secundò ratione. Prima ratio, quia *humilitas est virtus, qua quis ex verissima sui cognitione sibi ipsi vilescit, ut docet Bernardus tract. de grad. humil.* Ergo ex humilitate per cognitionem propriæ vilitatis oritur contemptus sui: ex contemptu sui odium sui, in eo quod contradicit Deo, cui humilis practicè cognoscit se infinite subesse. Ex odio sui extirpatio amoris proprii: ex sublatione hujus pullulat amor Dei. Contra verò superbia consistit in nimia æstimatione sui: ex qua oritur inordinatus amor sui. Amor autem Dei, & amor sui sunt characteres prædestinationum, & reprobatorum, quia juxta Augustinum in Psal. 64. *duo amores fecerunt sibi duas civitates: Hierusalem, & Babylonem.*

Eccl. 10.
 Superbia in quo sensu initium omnis peccati.
 Prosper.
 Gregorius.

Confirmatur primò, quia *initium omnis peccati est superbia.* Eccl. 10. eo quòd omne peccatum oriatur ex inordinata æstimatione, & amore; per quem præfertur voluntas propria voluntati Dei. Ideo S. Prosper lib. 3. de vita contempl. cap. 3. *nullum, inquit, peccatum fieri potest sine superbia. Siquidem nihil aliud est omne peccatum nisi contemptus Dei.* Aliam rationem innuat Gregorius lib. 34. mor. cap. 18. *quia alia vitia eas solummodò virtutes imperant, quibus*

ipsa destruantur, ut videlicet ira patientiam, gastrimargia abstinentiam, libido continentiam expugnant. Superbia autem nequaquam unius virtutis extinctione contenta, contra cuncta anima membra se erigit: & quasi generalissimè pestifer morbus corpus omne corrumpit. Rationem hujus subdit, quia per superbiam virtutes ipsæ evadunt vicia: & quidquid illa invadente agitur, etiamsi esse virtus ostenditur, non per hoc Deo, sed soli vana gloria servatur. Ideo, ut ibidem addit, interna superbia, quæ sepe obtentu fictarum virtutum tegitur, tandem in aperta vitia erumpit: quia superbia vitiorum est radix. Sicut enim inferius radix tegitur; sed ab illa rami extrinsecus expanduntur; ita se superbia intrinsecus calat, sed ab illa protinus aperta vitia pullulant. Si igitur superbia radix est omnis peccati, humilitas illi opposita eradicat principium omnis peccati: & sic tollit principium deviativum à fine prædestinationis. Ergo humilitas signum est prædestinationis tanquam removens prohibens: sicut superbia est signum reprobationis tanquam principium omnis peccati: quod medium est unicum reprobationis.

Confirmatur secundò, quia ex eo quòd humilitas eradicat principium omnis peccati, sequitur quòd sit principium omnium virtutum: quæ constituuntur per oppositionem ad peccata. Et hoc est quòd dicunt humilitatem esse fundamentum perfectionis ac totius ædificij spiritualis. Quamobrem Basilius in admon. ad filium spir. soli, inquit, præ omnibus humilitati stude: quòd est omni virtute sublimius, ut ad perfectionis fastigium possis ascendere. Bernardus de confid. lib. 5. virtutum, inquit, stabile fundamentum est humilitas. Nempe, si nudet illa, virtutum aggregatio non nisi ruina est. Hugo Victor. de claustr. anim. cap. 3. In spirituali, inquit, adificio fundamenti locus in imo, id est in humilitate queritur. Augustinus sermon. 10. de Verb. Dom. Magnus, inquit, esse vis? à minimo incipe. Cogitas magnam fabricam construere celsitudinis? de fundamento prius cogita humilitatis, & quantò quisque vult, & disponit superius ponere molem adificij; quantò erit maius adificium: tantò altius fodit fundamentum. Cum igitur adificium spirituale prædestinationum perventurum sit ad fastigium celsissimum supremæ felicitatis, debet utique incipere à fundamento profundissimo summæ humilitatis. Ideo idem Augustinus. Quòd est, inquit, fastigium construendæ fabricæ, quam molimur? quò perventurum est cacumen adificij? citò dico: usque ad conspectum Dei. Videtis quàm excelsum est, quanta res est conspiciere Deum. Quamobrem sicut ex fundamento habetur signum adificij: & quantò fundamentum est profundius, tantò magis signum est adificij altioris: ita ex humilitate signum habetur adificij spiritualis per prædestinationem complendi: & quantò profundior erit humilitas, tantò majus signum erit prædestinationis ad gradum gloriæ altioris.

Superbia
virtutibus
omnibus
adversatur.

Humilitas
eradicat
omne pec-
catum.

Humilitas,
totius spi-
ritualis æ-
dificij fua-
damentum.
Basilius.

Bernard.

Hug. Vict.

August.

August.

Ambros.
Humilitate nihil excellens.
In superbis spes prædestinationis pœne nulla.

Ideo Ambrosius lib.7. in Luc. nihil, inquit, humilitate excellens. Utique tanquam à signo: quia humilitas in fundamento, signum est celsitudinis in fastigio. Sicut autem, cum nulla extant ædificij fundamenta, quando jacta esse debuerant, nulla tunc subest spes ædificij: ita in superbis, si nullum adhuc jactum est fundamentum humilitatis, nulla spes esse potest ædificij attollendi usque ad conspectum Dei. Proinde in superbis ferè nulla spes prædestinationis apparet: cum ne prima quidem prædestinationis fundamenta sint jacta.

Bernard.

Superbia ruina virtutum.

Gregor.

Ideo Bernardus tract. de interiori domo cap.41. Superbia, inquit, sicut origo est omnium criminum: ita est ruina omnium virtutum. Ipsa aut in exordio mentem per peccatum prosternit: aut in fine de virtutibus dejicit. Quia scilicet corruat necesse est ædificium, quod solido fundamento non nititur. Idcirco Gregorius lib.34. moral. cap.18. hi, inquit, qui humilitatem, qua virtutum mater est, nesciunt, usum laboris sui perdunt: etiamsi que bona sunt, operari videantur. Quia surgentis fabrica robusta celsitudo non figitur, qua nequaquam per fundamenti fortitudinem in petra solidatur. Soli ergo ruina crescit, quod adificant, qui ante molem fabrica humilitatis fundamina non procurant.

Superbia de medicina facit vulnus, de remedio morbum.
Gregor.
CLXXVI.

Confirmatur primò; quia per superbiam, ut dictum est supra, virtutes ipsæ quodammodo vertuntur in vitia: & dum quis aut de virtutibus ipsis extollitur, aut opera alioquin virtuosa ad humanam gloriam dirigit, hoc ipso de cibo salubri fit venenum, de medicamento fit vulnus. Quod adnotans idem Gregorius lib.33. mor. cap.12. qui, inquit, de acceptis virtutibus extollitur, non gladio, sed medicamento vulneratur. Sicut igitur de ægrotorum salute desperamus, cum illis medicamenta ipsa vertuntur in nocumenta: ita philosophandum de signo æternæ salutis, aut mortis in iis, quibus per superbiam ipsamet bona opera morbum patiunt, & nocumentum. Quamobrem Chrysologus serm.7. Fugiendum, inquit, est virus: pestilentia cavenda, qua de remedijs creat morbos, conficit de medicina languorem, sanctitatem vertit in crimen, placationem facit reatum, generat de propitiatione discrimen. Utique de ægrotò, cui cibi salubres in malos humores, & remedia verterentur in morbum, actum omnino esset: ejusque deploratam salutem pronunciaret Hippocrates.

Chrysol.

Superbia causa luxuriz.
Ezech.

Confirmatur secundò, quia superbia ita est omnium vitiorum radix, ut specialiter sit causa luxuriz. Ideo dicitur Ezech. cap.18. iniquitas Sodoma superbia; nempe causaliter, eò quòd ex ea prodiit abominanda luxuria. Quia enim appetitus propriæ excellentiæ, ut appellatur à Scoto, luxuria quædam est spiritualis; iis, qui peccant hac luxuria spirituali, permittitur justo Dei judicio incidere in carnalem: ut dum supra se per superbiam eriguntur, infra se per luxuriam ad fœ-

diffima prosternantur. Quod advertens Gregorius lib. 33. mor. c. 11. *Gregor.*
contra, inquit, eos (superbos) hostis antiquus, qui iam interius do-
minatur, etiam exterius seivire permittitur, ut qui in cogitatione elati
sunt, per luxuriam prosternantur. Idem multò antè docuit Cas-
sianus lib. 12. coll. cap. 22. ubi docet omnem animam, qua superbia
fuerit tumore possessa, nequitijs spiritualibus tradi, eamque passionibus
carnis involui. *Cassian.*

Ex quo collige primò duplex in superbia signum reprobationis *Superbia,*
 agnoscitur, alterum in ipsa per se spectata, alterum in luxuria ex ea ema- *duplex re-*
 nante: quæ speciale reprobationis est signum, ut ostendetur suo loco. *probationis*
 Unde fit ut superbia tum formaliter, tum causaliter, secundum vitia *signu, cau-*
 quæ causat, reprobationis fit signum. *saliter, &*
formaliter.

Collige secundò, quàm Deo abominabilis sit superbia. Ut enim *Deus ad*
 hanc ex electorum suorum mentibus eradicet, eos quandoque in lu- *eradicandâ*
 xuriam prolabi permittit. Testatur hoc, inter cæteros, Damascenus *superbiam*
 lib. 2. de fide cap. 29. ubi: *permittitur, inquit, quis quandoque in tur-*
pem decidere actionem, ad emendationem deterioris affectus. Ut si
quis est in virtutibus electus, hunc sinit Deus in adulterium prolabi,
ut per ruinam in cognitionem propria infirmitatis veniens, confiteatur
Domino humiliatus. *Notanda illa verba, ad emendationem deterioris*
affectus: quibus pronunciat superbia deterior quàm luxuria: quia
quidquam scedius excogitari non potest. Unde fit, ut superbia tan-
quam vitium omnium deterrimum, contineat reprobationis signum
omnium pessimum. *Damas-*

Secunda ratio. Tota prædestinatio pendet à conformitate ad Chri- *Humilitas*
 stum, ac proinde reprobatio à difformitate, juxta illud Pauli ad Rom. *maximè*
 8. *quos prædestinavit conformes fieri imaginis filij sui.* Ergo illud præ- *Christo cõ-*
 destinationis est signum, per quod conformamur Christo; illud re- *format.*
 probationis, per quod difformamur. Sed per humilitatem maximè *Paulus ad*
 conformamur Christo; per superbiam maximè difformamur. Quia *Rom. 8.*
 expressè Christus hoc unum voluit ut ejus exemplo disceremus: *dis-*
cite à me quia mitis sum, & hamilis corde. Quæ verba perpendens *Gregorius.*
 Gregorius lib. 34. moral. cap. 18. *ad hoc, inquit, unigenitus Dei*
filij formam nostræ humilitatis suscepit; ad hoc despectus apparuit,
ad hoc contumeliarum ludibria, irrisorum opprobria, passionumque
tormenta toleravit; ut superbum non esse hominem doceret humilis
Deus. Unde fit ut Christiani simus nomine tenus, & inaniter; nisi *S. Leo.*
 discamus humilitatem à Christo. Quamobrem S. Leo serm. de nat. *S. Leo.*
frustra, inquit, appellamur Christiani, si imitatores non fuerimus
Christi. Qui ideo viam se esse dixit, ut conversatio magistri fieret
forma discipuli; & illam humilitatem eligat servus, quam sequutus est
Dominus.

Confirmatur primò, quia cum Christus in Scripturis modo leo

- Apoc. 5. dicatur, modo ovis, vicit leo de tribu Iuda. Apocal. 5. *tanquam ovis ad occisionem ductus est, & tanquam agnus coram tendente se obmutuit.* Isa. 53. prædestinatos tamen oves appellare voluit, non leones. *Statuet oves à dextris.* Matth. 25. *oves Meæ vocem meam audiunt.* Ioan. 10. ut ostenderet prædestinatos non tam illi debere conformari in magnitudine, quam in humilitate actionum. Quod adnotans Cornelius in eum locum *electos*, inquit, *comparat ovibus ob patientiam, & humilitatem*, quia scilicet hi Christum non in rugitu leonis imitantur, sed in mansuetudine, & humilitate ovium. Idcirco Bernardus serm. 2. in cap. jejuniij, *sublimis*, inquit, *Dominus; sed non ita proponitur tibi: laudabilis magnitudo illius, non enim imitabilis: humiliare, & apprehendisti.*
- Humilitatis exhibitio causa Incarnationis, & Passionis. Gregor. Confirmatur secundò; quia propter hunc finem Deus assumpsit humanitatem, ut imitabilem se præberet in humilitate, quam exhibere non poterat in sola Deitate. Quod animadvertens Greg. lib. 34. mor. cap. 18. supra cit. *quanta*, inquit, *humilitatis virtus est, propter quam solam veraciter edocendam, is, qui sine estimatione magnus est; usque ad passionem factus est parvus?* Adde Eucharistiam ipsam è Christi humilitate provenisse; qui priùs à Deitate ad formam servi, postea etiam ad formam cibi amplius exinaniri voluit. Quæ est observatio Augustini enarr. in Psal. 33. ubi: *unde*, inquit, *commendavit corpus, & sanguinem suum? de humilitate sua. Nisi enim esset humilis; nec manducaretur, nec biberetur.*
- Humilitati adscribitur ipsamet Christi exaltatio. Ad Phil. 2. Bernard. Confirmatur tertio: quia Christus prædestinatorum caput, licet illi deberetur exaltatio ex titulo unionis hypostaticæ, & titulo aliarum virtutum; voluit tamen ut ea adscriberetur soli humilitati ad Philip. 2. *Humiliavit semetipsum, &c. propter quod & Deus exaltavit illum.* Ideo Bernardus serm. 2. de Ascen. *sola*, inquit, *est humilitas, quæ exultat, quæ ducit ad vitam.* Hæc via, & non est alia præter ipsam. Atque hinc est, ut idem Apostolus ascensum Christi supra omnes cælos tribuerit descensui infra omnia. *Quod autem ascendit, quid est nisi quia & descendit primum in inferiores terra?* ad Ephes. 4. *Qui descendit ipse est, qui ascendit super omnes calos.* Ad Ephes. 4. Dicitur Christus ascendisse super omnes calos, usque ad locum supremum: quia descendit in inferiores partes terræ, nempe ad inferos, & ad centrum terræ, usque ad locum infimum. Quæ est animadvertio Chrysoptomi in eum locum. *Descendit ad infimas partes, post quas non alia: & ascendit super omnia, super quæ non sunt alia.* Ut scilicet ostenderet nobis tantumdem ascendendum in gloria, quantum per humilitatem descendimus. Sicut enim tradunt Physici aquam in fontibus tantum ascendere, quantum priùs ad ima descenderat: neque simpliciter ascendere posse nisi ante descenderit: ita planè contingit prædestinatis, adeo ut de Christo ipso dicatur, *quid est quod ascendit;*

nisi quia & descendit? & ponitur tantum ascendere, quantum descenderat, nempe ascendere ad supremum, quia descenderat ad infimum: quid est quod ascendit, nisi quia descendit? &c. Hæc de Christo prædestinatorum dnce. De cæteris autem prædestinatis id insinuat David Psalm. 83. *ascensiones in corde tuo disposuit in valle lachrymarum.* Quippe ascensio ad montem gloriæ disponitur per descensum ad humilitatis vallem. Ideo Augustinus serm. de verb. Dom. omnes, inquit, *celstudo delectat: sed humilitas gradus est.* Quia scilicet decet prædestinatos conformari Christo *ascendenti, quia descendit*, ut dictum est.

Psalm. 83.

August.

Addit Basilius admon. ad filium spir. humiles esse Deo similes. *Vir, inquit, humilis est Deo similis: & in templo pectoris sui gestat eum.* Hoc autem videtur explicatu difficile: cum humilitas proprie dicta non sit virtus quæ cadere possit in Deum.

Basilius. Humilis in quo sensu Deo similis.

Prima expositio esse potest in hoc attendi quandam proportionem quoddam sicut Deus, in omni communicatione ad extra, semper se ad suas creaturas demittit infra se: ita humilis demittit etiam se ad eos, qui sunt infra se: cum superbus attollat se supra se: Deo autem impossibile est attollere se supra se: & de facto demittit se infra se: & ideo dicitur à Basilio *humilem esse Deo similem.* Contra verò de Lucifero dicit Gregorius lib. 24. mor. cap. 17. quod *Dei similitudinem perdidit: quia esse ei superbè similis in celsitudine concupivit.*

Dei similitudo amittitur per superbiam.

Secunda expositio esse potest humilem esse similem Deo: quia in suis operibus alienus à gloria propria quærit gloriam Dei. Et sic conformatur Deo, qui *omnia operatur propter semetipsum.* Prou. 16. nempe propter suam gloriam. Quamobrem humilis est similis Deo; quia, dum operatur, idem est finis, & scopus Dei, & humilis, nempe Dei gloria. Ideo Christus, qui de se dixit, *discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Matth. 11. de se etiam testatus est, *honorifico Patrem meum: non quero gloriam meam.* Ioan. 8. Contra verò superbus dirigit suas actiones non ad gloriam Dei, sed propriam: & sic dissimilis est Deo. Immo in hoc directè Deo adversatur: qui non potest aliam gloriam intendere, quàm divinam. Ideo primus Angelus, qui peccando appetiit gloriam propriam, Sathahel nominatus est: quod nomen ductum ex radice Hebraica, significat *adversarium Dei.* Quia scilicet, dum appetiit esse ut Deus, quærendo non Dei gloriam, sed propriam, adversatus est Deo. Testatur hoc Chrysostomus homilia de Adam, & Eva, ubi, *unus Angelus primus, inquit, qui Sathahel dictus est, malignam, & nefariam presumptionem assumens dixit, ponam sedem meam in Aquilone, & ero similis Altissimo: & ita pro tali presumptione precipitatus de culmine Angelico diabolus nominatur.* Hinc sumitur

Prou. 16.

Matth. 11. Ioan. 8.

Luciferi nomen proprium Sathahel.

Tertia ratio à posteriori, quia plerumque humiles salvantur: su-

CLXXVII.

Superbia
peccatum
Angeli.
Gregorius.

Lucifer de
supremo or-
dine Sera-
phico.

Bernard.
Christus
venit fabri-
care ex ho-
minibus
novos Sera-
phim.

Eze. h. 28.
Lucifer cur
appellatur
Cherub.

Hieronym.
Seraphim
dicuntur ab
incendio,
Cherubim
à scientia.
Gregorius.

Bernard.
Lucifer lu-
cere magis
voluit quàm
ardere.

Joan. 5.

Ambitiosi
excludi vi-
dentur etiã
à numero
fidelium.
Matth. 23.

perbi damnantur. Ergo humilitas prædestinationis est signum, in-
perbia reprobationis. Antecedens apparet primò in Angelis. Quan-
doquidem peccatum Angelicum, ex communi Patrum consensu, fuit
superbia: quia Angelus, ut notat idem Gregorius lib. 34. moral. c. 17.
ius perversa libertatis appetiit: ut & præset cæteris, & nulli subesser.
*Sed, dum primam celsitudinem superbe appetiit: jurè perdidit partici-
patam.* In hoc observandum est, fuisse Luciferum de supremo ordi-
ne Seraphico. Quippe, qui fuit supremus Angelus, & sic è supre-
mo ordine. Ideo Bernardus serm. 3. de verbis Ilaïæ vidi Dominum,
&c. *Ecce, inquit, Rex noster novos in terra Angelos fabricaturus ad-
venit: non inferioris ordinis Angelos, sed Seraphim. Audi, quid loqui-
tur, ignem veni mittere in terram. Vult ergo Seraphim fabricare: ut hi
sibi stent, unde tu corruisti.* Cum ergo Lucifer esset ordinis Seraphi-
ci, appellatus est Cherub extensus Ezech. 28. *in deliciis Paradisi Dei
fuisi: & tu Cherub extensus, & protegens. & infra. Ejeci te de mon-
te Dei, & perdidisti, ô Cherub, projectus de medio lapidum ignito-
rum.* Quod de Lucifero ejecto de medio Seraphim exponit Hiero-
nymus in eum locum, & communiter alij. Cum igitur esset Sera-
phim, appellatur ab Ezechiele Cherub; quia Seraphim dicitur ab
incendio amoris, Cherub à plenitudine scientiæ. Quia ergo ille
caruit ardore divini amoris; sed tantum complacuit sibi de clarita-
te scientiæ; ideo, cum esset Seraphici ordinis, Cherub dicitur. Quod
animadvertens Gregorius lib. 17. moral. c. 15. *Cherub, inquit, ple-
nitude scientiæ interpretatur. Idcirco iste Lucifer Cherub dicitur: quia
transcendisse cunctos scientiã perhibetur.* Quippe ob superbiam magis
sibi complacuit de claritate scientiæ, quæ vergebat ad gloriam
propriam: quàm de incendio divini amoris, qui dirigitur ad glo-
riam Dei: & quod proprium superborum est, lucere tantum appe-
tiit, non ardere. Quod expendens serm. cit. Bernardus. *Quid, ergo
inquit, in veritate non stetisti: nisi quia Seraphim non fuisi? Seraphim
quippe ardens, vel incensus interpretatur. Tu verò habuisti miser lucem;
sed ardorem non habuisti. Bonum erat tibi si ignifer magis esses, quàm
Lucifer.*

E quibus colligitur eos, qui valde appetunt lucere apud homines,
non leve habere reprobationis indicium. Siquidem vestigia sequun-
tur Luciferi, qui reprobatorum est signifer. Ideo aviditatem humanæ
gloriæ Christus posuit inter maxima impedimenta salutis, dum di-
xit Ioan. 5. *quomodo potestis credere, qui ab invicem accipitis: & gloriam,*

quæ à Deo est, non queritis? Si acceptatio humanæ gloriæ ponit impe-
dimentum, & quasi impotentiam ad fidem cum dicat *quomodo pote-
stis, &c. multò magis ad spem, & charitatem, aliaque ad prædestina-
tionis finem necessaria.* Idem Christus hoc idem reposuit inter si-
gna reprobationis, quæ apparebant in Pharisæis Matth. 23. *amane-
primos.*

primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in Synagogis, & salutaciones in foro, & vocari ab hominibus Rabbi. Videant superbi, quam spem habere possint salutis, quando hæc, quæ tanquam peccata levissima æstimant, Christus ipse reposuit inter maxima impedimenta salutis, & inter vitia Phariseorum: qui Luciferi asseclæ lucere volebant, non ardere. Quippe omnis superbus, qui super alios attolli, ac cæteris præferre se studet, imitatore[m] se ostendit diaboli.

Quod adnotans Gregorius lib. 3. mor. cap. 18. *sunt, inquit, nonnulli, Gregor.* qui electionis fastigium ascendunt; illum videlicet imitantes, qui se primus apud se exiulit; sed elevando prostravit. Porro Luciferi superbia elucescit magis ex ejus collatione cum humilitate Joannis Ba-

paptistæ: de quo dictum est Ioan. 5. *ille erat lucerna ardens, & lucens.* Ioan. 5. Ioannes Baptista cur dicitur lucerna ardens, & lucens: quia directè oppositus Luciferinæ superbiæ, ardere magis appetiit, quàm lucere. Quod advertens Bernardus serm. de Nativit. Ioan. Bapt. *ille, inquit, erat lucerna ardens, & lucens, non ait lucens, & ardens: quia in illo ex fervore splendor: non fervor prodiit è splendore. Sunt enim, qui non eo lucent, quo ferveant: sed magis fervent, ut luceant. At isti planè non fervent spiritu, sed studio vanitatis.* Bernard.

Hoc pertinet ad reprobos Luciferi asseclas, qui splendere studuit, ardere non studuit. Contra quos idem Bernardus serm. 3. in verba Isaia vidi Dominum. *Quid lucere, inquit, festinatis? nondum advenit tempus in quo fulgebunt iusti, sicut Sol. Interim perniciosus est iste appetitus lucendi.* Bernard.

Contra verò prædestinatorum est proprium ardorem divini amoris curare, splendorem proprii nominis non curare. Quod videre est in Ioanne baptista electorum antesignano. Qui directè, ut dictum est, Lucifero oppositus, divinam similitudinem nullatenus affectavit. Immo cum posset haberi Messias, Christus Deus, si tantum ipse annuisset, aperte *respondit non sum.* Ioan. 1. de se pronuncians humiliter, *ego vox.* Quod observans Bernardus serm. cit. *lucet, inquit, Ioannes tantò utique clariùs, quantò ampliùs fervet: tantò veriùs, quantò minus lucere appetit. Fidelis Lucifer, qui Solis iustitia non usurpare venit, sed prænunciare splendorem.* Ioannes igitur, qui lucere non studuit, Christi Solis verus Lucifer factus est. Lucifer verò, qui nihil lucere præsumens, Sol esse appetiit, lucem propriam amisit, æterna nocte mulctatus. Ioannes Christi præcursor, & electorum vexillifer, iis præmonstravit, quàm gloriosum finem ferat humilitas: & in quam lucem evadat nominis voluntaria obscuritas. Lucifer reproborum dux ostendit suis, quàm horrenda nox excipiat hunc, quem tantopere superbi ambiunt, humanæ gloriæ splendorem. Qui iis est veluti prodigiosi cometæ infausta lux, lethi, & damnationis prænunciata. Et hoc est primum exemplum, in quo

apparet humilium prædestinationis, reprobatio superborum.

Apparet id secundò in Saùle, & Davide. Quippe Saùli dictum est

1. Reg. 15.
Gregor.

Saùl ob
humilitatē
eiectus ad
regnum, ob
superbiam
eiectus è
regno ter-
reno, & cæ-
lesti.

Gregor.

1. Reg. 24.
David ob
humilitatē
ad utrum-
que regnū
eiectus.

1. Reg. 15. cum parvulus esses in oculis tuis, caput in tribubus Israel factus es. Quod exponens Gregorius in lib. Reg. quasi, inquit, dicat superbus modo, instè deponeris: qui prius humilis regnum sortiri meruisti. Nempe ex superbia reprobatus, ex utroque regno est deiectus, terreno, & cælesti. Expresse autem reprobationis causam in Saùle fuisse superbiam, id tradit lib. 26. moral. cap. 19. ubi Saùl, inquit, ab humilitatis merito in tumorem superbia culmine potestatis excrevit. Per humilitatem quippe prælatus est, per superbiam reprobatus. David verò, qui, ut testatur Psalm. 130. de se humiliter sentiebat: & se canem mortuum appellabat 1. Reg. 24. ad utrumque fuit regnum eiectus temporale, & æternum. Quod expendens Gregorius lib. 37. moral. cap. 17. Parvulus, inquit, in oculis suis est, qui in eo quod se considerat, imparem se alienis meritis pensat. Saùl autem reprobus, in bono, quod coeperat, non permansit: quia fastu suscepta potestatis intumuit. At contra David semper de se humiliter sentiens, eidem sevienti adversario humiliter se prostravit dicens: Quem persequeris Rex Israel, canem mortuum: Certè jam unctus in Ragem fuerat: iam exorante Samuele, & cornu super se oleum fundente didicerat, quod cum divina gratia, Saùle reprobato, ad Regni gubernacula possidenda servabat. Et tamen persequenti adversario mente se humili substernebat: cui divino iudicio prælatus se esse cognoverat. Ex hac comparatione ibidem colligit universaliter reproborum proprium esse alios despiciere, electorum aliis se submittere. Omnes, inquit, iniqui per tumorem cordis elati, cunctos, quos cernunt, superbia fastu despiciunt. Et infra: Electi etiam se illis humiliant: quibus iam se per maiora iudicia antepositos deprehendunt. Hoc autem esse proprium electorum specimen solet, quod de se semper sentiunt infra quam sunt. Hinc namque ab eodem David dicitur, si non humiliter sentiebam, sed exaltavi animam meam. Hinc Salomon ad sapientiam parvulos vocat dicens, si quis est parvulus veniat ad me. Hinc in Evangelio Dominus dicit, confiteor tibi Pater, quia abscondisti hæc à sapientibus, & revelasti ea parvulis. Hinc magister gentium dicit, facti sumus parvuli in medio vestri. Addit infra de reprobis: Contra verò reproborum est magnificè de se sentire, & magnos esse in oculis proprijs. Ideo subdit: hanc humilitatis formam reprobi, quia Leviathan membra sunt, vel cognoscere, vel tenere contemnunt. Quia & si quando se humiles specie tenus ostendunt, humilitatis vim servare intrinsecus negligunt. Qui sapè, ut si quando unumquodlibet bonum vel minimum faciunt, malis à suis omnibus respectum mentis procaciùs avertunt: atque hoc, quod vel extremum bonum fecerint, tota intentione semper inspiciunt: & ex eo se se iam

CLXXX.

Gregor.
Electi de se
humiliter,
reprobi de
se magnifi-
cè sentiunt.

Superbi
membra dia-
boli.

quasi sanctos aspicunt; oblii malorum omnium, quæ commiserunt unius sui tantummodo boni memores, quod fortasse facere nec perfectè potuerunt. Sicut evenire contrà electis solet, ut cum multarum virtutum gratia polleant, unum vel tenuissimum vitium valde defatigans pulset. Quatenus, dum ex quadam parte se sic infirmari considerant, de his virtutibus, in quibus prævalent, se minimè extollunt: dumque de infirmitate trepidant, hoc quoque, ubi fortes sunt, humilius servant. His quasi coloribus à Gregorio reprobatorum superbia, electorum humilitas delineatur, occasione collationis inter superbiam Saülis, ob eam cælesti, & terreno regno dejecti, atque humilitatem Davidis.

Apparet idem tertio in divite, & Lazaro. Neque enim putandum est illum è solis divitiis reprobatum; hunc è sola mendicitate salvatum: nam neque divitiæ per se sunt malæ, neque mendicitas per se bona: neque byssus, & purpura, aut solæ epulæ putandæ diviti causa esse damnationis. Quod expendens Chrysologus serm. 121. numquid, inquit, per se tantum divitiæ criminosa sunt? aut sola tantum per se penes Deum damnanda sunt vestes? & tantum per se puniendæ sunt epulæ: ut non solum careant præmio bonorum; sed omnium malorum ferant, & mereantur exitium? Dicendum igitur est divitiis diviti fuisse causam superbiæ; & ideo damnationis: mendicitatem Lazaro causam fuisse humilis tolerantia; & ideo salvationis. Quod indicans idem Chrysologus serm. 124. Pauperem, inquit, contemptus provexit ad patientiam; divitem exulit purpura ad superbiam, ad cecitatem splendor, sublimitas ad ruinam.

Apparet idem quartò in Phariseo, & Publicano Evangelico. Ille enim plenus bonis operibus associatis cum superbia rejectus est, & reprobatus: hic vero oneratus peccatis adjuncta humilitate justificatus est, & electus. Quod expendens Chrysostomus homil. 66. in Matth. Sine humilitate, inquit, si multa alia peragas; immundus eris apud Deum. Quod Phariseus omnibus patefecit; qui mille virtutibus affluens, supernam felicitatem propter arrogantiam amisit. Huc revocari posset animadversio illa à nobis aliàs relata ejusdem Chrysostomi homil. 5. de incomprehens. Dei Nat. ubi finge, inquit, animo bigam duplicem; quarum in altera virtus iuncta sit cum superbia; in altera cum humilitate peccatum. Videbis bigam illam peccati facile anteire virtuti: palmamque obtinere non pernecitate peccati; sed vigore humilitatis. Contra vero bigam alteram retardari, ac vinci non imbecillitate virtutis, sed pondere ac mole superbia. Hoc exemplo Pharisei, & Publicani perspicies, &c. His exemplis apparet humiles, quamvis peccatores interdum sint, converti plerumque, & salvari: superbos, quamvis ad speciem cæteris virtutibus affluant, plerumque damnari.

Diviti superbia causa damnationis, Lazaro humilitas causa salvationis. Chrysol.

Chrysol.

Phariseus rejectus propter superbiam; publicanus electus propter humilitatem. Chrysol. Chrysol.

Castitas superbiae ad-
iuncta interdum amittitur circa
finem vitae.
Gregor.

Confirmatur primò, quia castitas diu servata, si superbiae ad-
iungatur, interdum ex iusto Dei iudicio amittitur, etiam circa finem
vitae. Quod animadvertens Gregorius lib. 24. moral. cap. 13. *Plerum-
que, inquit, latet superbia: & castitas innotescit. Atque ideo ostensa diu
castitas circa vita finem perditur: quia cooperta superbia usque ad fi-
nem incorrecta retinetur.*

Humilitas
sola evadit
è laqueis
diaboli.

Confirmatur secundò, quia non datur alius evadendi modus è tot
diaboli laqueis, quàm humilitas: Deo auxilium efficaciter humilibus
præbente, superbis sæpissimè denegante. Quod declaravit olim ma-
gnus Antonius. Cui, ut refertur in ejus vita, cum ostensi fuissent
innumerabiles diaboli laquei toto terrarum orbe ad capiendas ani-
mas undequaque dispositi, ipso exclamante, *quis è tot laqueis poterit
tandem evadere?* responsum fuit, *sola humilitas.*

CLXXXI.

Et ratio est; quia, cum nemo tot diaboli tentationes evadat sine
auxiliis specialissimis Dei, hæc humilibus à Deo dantur, denegantur
superbis. Nimirum, si etiam in humanis ad magnanimitatem perti-
net, juxta effatum Poetae, *parcere subiectis, & debellare superbos;*
multò magis præstabitur id à supremo monacha Deo: in quo est
magnanimitas in gradu infinito, & altioris ordinis. Ideo maximum,
& fere unicum medium Christianis ad assequendam gratiam, &
gloriam est humilitas. Quamobrem Augustinus epist. 56. *si quaeris, in-
quit, quid primum sit in religione, & disciplina Christi, respondebo, pri-
mum est humilitas. Quid secundum, humilitas. Quid tertium, humili-
tas. Sicut enim Demosthenes primas; secundas, tertias pronuntiationi
dedit: ita easdem ego dabo humilitati in schola Christi.*

August.

Contra verò schola diaboli in superbia consistit. Adeo ut reprobi
non alio nomine censeantur, quàm filij superbiae: quorum caput est
diabolus. Ideo dicitur Iob 14. *ipse est Rex super universos filios
superbiae.* Hoc maximè caractere discernuntur filij diaboli à filiis
Dei. Quippe diabolus caput est superbiorum, Christus humilium:
ille superbiae, hic humilitatis exemplar. Quod egregiè, ut assolet,
prosequitur Gregorius lib. 34. moral. cap. 18. ejus fusè de hoc disse-
rentis verba, quæ ad rem nostram maximè faciunt, libet hic paucis

Gregor.

Exemplar
superbiae in
diabolo,
humilitatis
in Christo.

ad brevitatem relectis, transcribere. *Hostis, inquit: noster magnus
inter omnia conditus videri super omnia voluit elatus. Redemptor
noster magnus manens super omnia, fieri inter omnia dignatus est
parvus. Ille ait, in caelum ascendam: iste per Prophetam dicit: vita
mea inferno appropinquavit. Ille dicit, super astra Caeli exaltabo
solum meum: Iste humano generi à Paradisi sedibus expulso dicit,
ecce venio cito, & habitabo in medio tui. Ille dicit, sededo in monte
testamenti, in lateribus Aquilonis: iste dicit, ego sum vermis, &
non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis. Ille dicit, ascen-
dam super altitudinem nubium, & similis ero altissimo: Iste cum in*

forma Dei esset, exinanivit semetipsum, formam servi accipiens, & per membra sua loquitur dicens, Domine, quis similis tibi? Ille per membra sua loquitur dicens: nescio Dominum, & Israel non dimittam. Iste per semetipsum dicit, novi eum, & sermonem eius servo: Ille dicit, mea sunt flumina, & ego feci ea: Iste dicit: non possum à me ipso facere quidquam. Ille regna omnia ostendens dicit: tibi dabo gloriam illorum, quia cui volo do illam: Iste dicit calicem quidem meum bibetis, sedere autem ad dexteram, vel sinistram, non est meum dare vobis. Ille dicit: eritis sicut dii scientes bonum, & malum: Iste dicit: non est vestrum nosse tempora, vel momenta, qua pater posuit in sua potestate. Hæc & plura ibi Gregorius. E quibus apparet exemplar superbiæ in diabolo; in Christo humilitatis: ut maximè ex hoc discernantur, qui sint conformes Christo, & conformes diabolo; & sic reprobati. Schola diaboli tota est in edocenda superbia: schola Christi tota in doctrina humilitatis. Et sic bene ex hoc discerni possunt utriusque scholæ discipuli. Ideo idem Gregorius *Gregor.* ibidem: ille, inquit, nihil aliud mentes sibi subditas docet, quam celsitudinis culmen appetere, cuncta aequalia mentis tumore transcendere: Iste ad sputa, ad colaphos, ad spineam coronam, ad crucem, ad lanceam, atque ad mortem veniens, membra sua admonet dicens: Si quis mihi ministrat, me sequatur. Unde apertè concluditur ex hoc maximè cognosci reprobos sequaces diaboli, & electos sequaces Christi: & sic superbiam reprobationis, humilitatem electionis signum esse perspicuum. Quæ est expressa consequentia ejusdem Gregorij, qui rem totam ita concludit. *Quia igitur Redemptor noster corda regit humilium, & Leviathan iste Rex dicitur superbiorum; apertè cognoscimus, quod evidentissimum reprobiorum signum superbia est, ac contra humilitas electorum.*

CAPUT X.

Sextum prædestinationis signum misericordia in pauperes.

Dico decimò. Misericordia in pauperes prædestinationis est signum. Probatum primò è Scripturis. Primus locus Psalm. 40. *Beatus, qui intelligit super egenum, & pauperem; in die mala liberabit eum Dominus. Dominus conservet eum, & vivificet eum, &c.* Promittitur intelligenti super egenum, & pauperem liberatio in die mala; id est, ut explicat Augustin. Hugo Cardin. & alij in die judicij. Promittitur conservatio, & vivificatio; *Dominus conservet eum, & vivificet eum.* Hæc vivificatio, ut ait Augustinus,

E e iij

CLXXXI.
Misericordia in pauperes prædestinationis est signum.
Psalm. 40.
Augustinus.
Hugo Cardin.